



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

NUMERUS DECIMUS.

Causæ cur tantis conatibus summorum Pontificum, exitus non responderit: & ex adverso, tria efficacissima media, ad debellandum communem Ecclesiæ hostem; & potentissima motiva ad Bellum Sacrum.

§. I.

Variæ sunt causæ cur tantis conatibus, tot summorum Ecclesiæ Pastorum exitus non semper responderit. Primò, Imperatorum Græcorum perfidia. Secundò, Quia promiscua, inops, & imbellis, fidelium turba, devotione excitata ad Bellum concurrat. Tertio, Quod eadem Acephala fuit & carens idoneo Duce. Quarto, Quia inter Duces concordia non constitit. Quintò, Quod nervus Belli pecunia deficeret. Siquidem ad tantam expeditionem, opus est: Primò, uno summo Capite, eoque insigni. Secundò, lecto, & veterano

H

milite. Tertio, ærario solido. Quæ tria Reges Christiani hoc tempore, facile præstare possunt, si verè & efficaciter velint.

Auxilia deindè valida, variæ Provinciæ & gentes ultrò præbebunt: quorum omnium subsidiorum nullus fidelior œconomus, ac dispensator desiderari, à fidelibus potest, quàm omnium Christianorum communis Pater, summus Ovis Dominici Pastor. His adde quod Christiani, qui Provincias Turcæ subditas incolunt, durissimamque serviunt servitutem, quin & sola Christiana Turcarum mancipia, multis subindè partibus ipsos Turcas numero superant, uti oculati testes referunt: adeoque hic Turca tria, ille decem, alius viginti possidet mancipia, quæ ut tyrannicum herile jugum excutiant, decertabunt usque ad mortem, cùm servitus Turcica eis ipsa morte sit acerbior.

Exemplo sit Georgius Castriotus, qui anno Domini 1443. Amuratis jugum excutiens, Epiri se Principem constituit, ac solus cum suis Epirotis, per omnem vitam Bellum cum Turca

gessit, multasque, & magnificas, de eo victorias reportavit; unde Turcis ita formidabilis extitit, ut ab eis Scander Begius, idest Alexander magnus, sit nuncupatus.

Quin & solo ejus nomine audito, eum scilicet adventare, illicò velut viso fulmine diffugerent: de cujus gestis planè hæroicis libri tredecim extant. Coævus & quasi collega fuit Joannes Hunniades, cujus paulò ante memini, cognomento Fulmineus, Turcarum terror pariter & Fulmen, qui variis præliis facilè millionem Turcarum cecidit, cujus hoc erat Axioma:

» Turcam à Christianorum Provin-

» ciis, puta ab Italiâ, Germaniâ, Po-

» loniâ, longius esse submovendum:

» nec expectandum donec ipse Chri-

» stianorum regiones invadat: sed in

» Thraciam, & Turciam Christianis

» esse transeundum, ibique cum eo

» conflegendum; perindè ac Alexan-

» der magnus cum Dario in Asia,

» Hannibal cum Romanis in Italia,

» Scipio cum Carthaginensibus in A-

» frica, dimicarunt.